

AD
ORATIONEM SOLEMNEM
MEMORIAE
GODOFREDI HOFFMANNI,

GYMNASII QVONDAM ZITTAVIENSIS DOCTORIS ET
MODERATORIS EXCELLENTER PROMERITI,
SACRAM

ET

DIE II. OCTOBRIS

H. L. Q. C.

AB SE HABENDAM

DÈCENTER ET HVMANISSIME

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS,

GYMNASII DIRECT.



Dr. Pasallo Niave R.H.

Biogr. erud.

D. 226, 8.



PAVLVM NIAVEM, cujus vitam nuper ex ipsius hujus viri litterarum monumentis, Dialogis, Epistolis, & aliis quibusdam scriptis, expositam dedimus, in Misnia & Lusatia instauratorem litterarum fuisse, saltem non prorsus contemnendum, haud sine ratione arbitramur. Etenim, quod instaurator litterarum dicitur in Misnia & Lusatia, id habet hanc sententiam, PAVLVM NIAVEM in Misnia & in Lusatia habitasse, cætera autem, quæ ipsam instauratorem attingunt, ita vera esse, si ea perpurgatis scholis editisque scriptis inclaruerunt, ut PAVLVS NIAVIS adeo ipse, susceptis rite laboribus, hoc opus persecutus sit. Quæ quidem reliqua nunc breviter persequemur. Quum enim RIVIVS, id quod FABRICIVS in RIVII vitæ curriculo affirmat, Annabergæ olim PAVLI NIAVIS Dialogos, licet non prorsum exigue scriptos, schola exterminavit, quod alibi item in Epistolis hujus viri usu evenit, vid. Epistol. Vir. Obscur. Epistol. 6. id nimis magno studio, de quo Rudolph. Agricola, Bebelius, & alii in suis scriptis testari possunt, præter Epistolas Virorum Obscurorum, plenas querelarum de Philologis, ista destinata tunc exsequenti- bus, videtur esse factum, ut Philologi sibi istam legem imponerent, ne aliis in schola, atque classicis ipsis Autoribus uterentur. Quoniam igitur veterum dicendi rationem ipse minori felicitate in scriptis suis expresserat, dicentibus omnino PAVLVS NIAVIS non poterat esse styli Romani exemplum, quatenus autem veteres scriptores, Ciceronem, puta, Quinctilianum, cæteros, totos dies in manibus habuit, istorum lectionem cuilibet summopere commendavit, & in primis veteres istos auctores suis in schola imitandos proposuit, ob eam credo causam, quod insit in PAVLO NIAVE aliquid probi, quod dignum efficiat, ut laudem instauratoris litterarum, licet non strictius sic dicti, tamen non prorsus contemnendi, consequatur.

Periclitemur, si placet, primum in iis quidem testimoniis, in quibus PAVLVS NIAVIS ipse de se ita confiteri videatur.

Quid? in *Epistola Nuncupatoria*, quam *Mediocribus Epistolis* suis præposuit, nonne PAVLVS NIAVIS diligenter monet, ut, qui ad fastigium scandere volent, arte utantur? Quod quo facilius obtinerent, non de ista solum in *Elegantiss* suis succincte determinatum esse scribit, sed dicit etiam in *Epistola tertia*, se imitari maiores, quorum vestigia sequi sanctum sit. Laudat vero in *Epistola septima* Quinctilianum, Ciceronem, in *decima tertia* Terentium, Horatii artem poeticam, & in *Epistola quinquagesima tertia* Officia Ciceronis, quod omnium Philosophorum libris præcellant, ejusque Stylum, quem summo deceat, quod ait, persequi studio. In *Epistolis* suis *Longioribus* summopere commendat Discipulis suis in schola Plinium, Livium, Virgilium, Ovidium, Ciceronis Orationem pro Milone, Juvenalem, Persium, & Ciceronis libros Rhetoricos. Deinceps in *hac eadem Epistola* gloriatur præsertim de Virgilio, quem una cum Expositore ejus, Servio, suis explicare conatus esset, deque Terentio, quem sapius in manibus haberet. Omne itaque *Pauli NIAVIS* studium in eo semper positum erat, ut, quæ sui ipsius verba sunt, juvenes ad legendum excitaret, propterea, ut lingua eruditior fieret, & ut emendatam, concinnam, cultamque latini sermonis facundiam consequerentur. Vid. *Paul. NIAVIS* Epistol. Mediocr. Epistol. II. & 14.

Ex quibus omnibus, & ex litterarum monumentis, quæ iam sequentur, intelligi debet, non sine ratione fieri, ut arbitrari ausi simus, PAVLVM NIAVEM non consilio tantum, sed opere etiam rite suscepto, in scholis omnino, pro viribus & temporum ratione, perpurgandis sua quidem ætate inclaruisse, dignum in eo hodiernum celebrari, quod orationis latinæ facultatem, quam alii ex Italia adferebant, ipse suo labore multo ex crebra Veterum lectione domi didicit, alios deinde cum summa diligentia docuit, & scriptis demum suis multis barbariem paulatim vincere aut emollire studuit.

Scripta enim & ingenii monumenta, quibus sua ætate multam famam sibi PAVLVS NIAVIS comparavit & inclaruit, hæc sunt:

I. *Judicium Iovis in valle amenitatis habitum, ad quod mortalis homo a terra tractus propter montifodinas in monte Niveo aliisque multis perfectas ac demum parricidii accusatus. Sine*

loco & anno, in 4to. plag. 4. Inscriptioni hujus libelli a tergo affixa est figura lignea, in qua ipse hujus judicii, de quo in libello expositum legitur, tota forma delineata est. Medio in horto octangulo sedet Iupiter corona in capite ornatus, dextra tenens globum imperii, sinistra sceptrum. Iuxta horti portam ad dextram sedens conspicitur Eremita, & ad Iovis sinistram stat metallifossor, quem tres Penates circumstant, manibus suppliciter ad Iovem extensis. Ad dextram Iovis Terra, ut foemina, laceratas vestes suas ostendit, metallifossorem veluti accusatura, cujus comites sunt Bacchus, Ceres, Nais, Pluto, Charon & Fauni. Supra hortum a parte sinistra Eremita in sylva stat versus hoc judicium, & a dextra quidam genibus provolutus conspicitur ad sic dictum a NIAVE ligneum crucifixum in domuncula, germanice *eine Marter-Säule, eine Wege-Marter*. In summo vero monte sacellum S. Alberti expressum sistitur. Libellum ipsum in pagina, quæ sequitur, dedicavit sic: *PAVLVS NIAVIS arcium Mag. Venerando viro Steffano Gulden plebano in Zwickaw domino suo imprimis colendo Salutem plurimam d.* Libellus vero ipse in tertia demum pagina cum hoc alio titulo operis incipit: *Mirabilis visio Heremite ejus, qui clausam habitat in nemore iuxta Lichtenstat, ubi sacellum est sancti Alberti, qui dum errans judicium vidit Iovis, ad quod homo tractus parricidii erat causatus.* Hanc duplicem vero libelli Inscriptionem propterea commemoravimus, quia inde fortasse culpa est, quod *LEXICON ERVDITORVM IOECHERIANVM* *Judicium Iovis valle, & Visionem Eremitæ* tanquam duos libros retulit, quum tamen non sint nisi unus atque idem. Visio ipsa, quam, in Epistola nuncupatoria ad *Steffanum Gulden, Niavis* dicit ad se, ut eam in latinam converteret linguam, perlatam esse ab alio, suo familiari, Ruperto Horrennav de gossengrun, die proxima post Apostolorum festivitatem Philippi & Iacobi, anno forte a salutifera verbi conceptione MCCCLXXV. contigisse in libello dicitur, qui annus vero num idem libelli editi fuerit, certo probari non potest. Quoniam vero totum hoc *Judicium Iovis* de metallifodinis Schneebergensibus tunc excitatis conscriptum esse facile intelligitur, itaque hic libellus incolis istius montis charus esse solet ista etiam ex causa, quia inde, quæ olim Montis Nivei fuerit facies, optime cognosci potest, ita ut *PAVLVS NIAVIS* primus quasi scriptor rerum Schneebergensium habendus sit. Exemplaria hujus libelli habentur in Bibliotheca Cygneensi, inque ea in duplo, in Freybergensi & Annabergensi, ut pote quæ de isto suo non deperdito, quod diu creditum est, Exemplari multum gaudet, quia, hunc libellum satis rarum esse, facile constat.

II *Elegantie latinitatis Magistri Pauli Niavis una cum modo epistolari.* Sine loco & anno, in 4to. plag. 9 $\frac{1}{2}$. Libellus Presbytero Chemniciensi inscriptus est: *Paulus Niavis artium Magister Venerando viro Erasmo presbytero artium baccalario in Kempnitz atatem agenti domino suo & fautori amando salutem plurimam dicit.* In qua quidem epistola Erasmo suo *NIAVIS* affirmat, se hunc libellum complevisse matura deliberatione, perlectis priscorum codicibus. In libello autem ipso, præter alia multa, diligenter satis disputat de Numero, Variatione, Perspicuitate, de differentiis verborum quorundam & phrasium, de proprietate secundum legem congruitatis, ne rusticana sit locutio, de classica verborum significatione, deque diversis verborum significatibus. In epistola autem *modo Epistolandi*, qui *Elegantiss* adjectus est, ad Erasmus eundem præmissa *Niavis* fateri voluit, se in *Elegantiss* scribendis secutum esse Quinctilianum, & cui plurimum in arte dicendi tribuit, Laurentium de Valla, in epistolis vero Tullium, Casperinum, Eneam Silueum, atque alios. Hic libellus *PAVLI NIAVIS* adservatur in Bibliotheca præstantissima Cygneensi.

III. *Epistole breves Magistri Pauli Niavis.* Sine loco & anno, in 4to. plag. 5 $\frac{1}{2}$. Libellum *NIAVIS* nuncupavit Commendatori Plaviensi, olim Præceptoris suo, his quidem verbis: *PAVLVS NIAVIS, artium Magister, venerando viro, andree Hubener, commendatori in plawen, archidiaconoque Tobnensi, domino suo colendissimo S. P. D. Rogatus a discipulis, id quod in Præfatione ait, in libellum PAVLVS NIAVIS epistolas redegerat, ad amicos in gerendis scriptas negotiis, ut in perficiendis epistolis exemplorum loco positæ essent.* Quum enim a Cicerone, aliisque, multa genera epistolarum librique scripti sint omnes de vetustissimis rebus, itaque conferre censuit, ut novas in lucem induceret, epistolas primum breves, quæ essent discipulis imitatio quædam, deinde paulisper longiores, quas mediocres nuncupavit, postremo pene prolixas, omnes de rebus modernis, ut ceu ex speculo discentes inde contueri possent, quo pacto litteræ exarari debeant. Hic libellus invenitur in Bibliotheca Cygneensi. Aliud hujus libelli Exemplar in 4. plag. s. quod Bibliotheca Annabergensis adservat, habet in fine locum & annum impressionis sic: impressum Lip'tz'k per Melchior Lotter, anno millesimo quingentesimo tertio. Exemplar vero, quod Lipsiæ per Melchior Lotter, 1499. plag. 8. impressum dicitur, ego nondum vidi.

IV. *Epistole mediocres Magistri Pauli Niavis,* in 4to. plag. 5 $\frac{1}{2}$. Impressum lip'tzk per Cunradum Kacheloffen. Anno domini XCIII. Libello dedicatio præfixa est, quæ incipit: *PAVLVS NIAVIS artium Magister venerando viro Andree Hubner, archidiacono Tobnensi commendatorique & plebano in plawen, domino & fautori suo imprimis colendo S. P. D.* In dedicatione ipsa dicit, se pollicitum esse in epistolis, quibus a brevitate nomen inditum, mediocres in medium adferre, in quibus & verborum copia, & sententiarum vis altior habeatur, ut incipientes o-

mnem scribendi formam plane cognoscerent. Id tamen ut apertius depromat, tum futurum, cum longiores perscriberet. In Epistola septima scribit, sibi lectionem Quinctiliani objectari, quam vero sibi non pudori ducit, laudans imitationem, quam Cicero in Rhetorica utilem esse perdocet. In Epistola 13. commendat propter styli elegantiam artem poetandi, dolet vero infimul, quod ars cantandi nobilissimi ingenii adolescentes ut plurimum seducat. In Epistola 45. monet, quod discretio habenda sit inter barbarum latinumque sermonem, & Epistol. 53. quod Ciceronis Officia magni habenda sint, ex quibus aliquis facile fieri posset doctus & eloquens. Duo hujus libelli Exemplaria habet Bibliotheca Cygneensis.

V. *Epistole Longiores Magistri Pauli Nivis*, in 4to. plag. 5 $\frac{1}{2}$. In fine Libelli, sicuti tum mos erat, habetur locus & annus impressionis sic: Impressum liptzk per me Conradum Kacheloffen, Anno domini MCCCCXCIII. Hic libellus item *Hubnero* dedicatus est hoc quidem alloquio: PAVLVS NIAVIS artium magister honorando viro *andree hubner* archidiacono tobnenfi: commendatori & plebano in plawen domino & fautori suo colendissimo Salutem plurimam dicit. In ipsa Dedicacione Hubnero, olim Præceptoris suo suavissimo, affirmat, humanitatis studium in regione nostra incrementum cepisse, quum non Præceptores solum in sudore huic studio invigilarent, sed plerique juvenes etiam hunc præ se ferrent animum, ut æquales superare, majoribus vero pares possent videri, certamine quidem honesto. Timens deinde, ne tandem sola antiquitas, cujus, sicuti omnium codicum omniumque scientiarum, cognitionem divina impressura, tandem ab Italis suscepta, ad nos Germanos perferret, nostris rebus nostrisque negotiis, quæ pauca litteris mandarentur, obscuritatem afferet, se istis de causis haud inutile duxisse dicit, præter istas suas mediocres & breves, has longiores epistolas perscribere, quæ ad dicendum plurimum conduceant, esse autem illas, quas ad familiares suos & propinquos misisset, & rogatus in unum collectas impressuræ accommodasset. Dolet vero statim in Epistola prima, neminem sibi olim Ciceronem, neminem Quinctilianum, Terentium, cæt. nominasse, ita ut ipse se ad veteres accommodasse videatur. Reperitur hic libellus in Bibliothec. Cygneens.

VI. *Latinum ideoma Magistri Pauli Nivis pro parvulis editum*. Sine loco & anno, in 4to. pl. 4. Libellum dedicavit senatui Chemnicensi sic: PAVLVS NIAVIS artium magister magnificis viris sapientique *senatui Kennizensi*, dominis suis plurimum colendis Salutem plurimam dicit. Libello NIAVIS præfatus testatur, se hoc latinum ydeoma & hæc rudimenta puerilia pro incipientium contexisse utilitate, ut pueri, litteris adjuncti, bene ac utiliter erudirentur. Libellus ipse sub forma Dialogi conscriptus est, ita, ut primum pædagogus cum scolari loquatur, & huic rursus juvenis respondeat, deinde autem Rectoris cum discipulo & etiam collateralium locutiones communes adducat, postremo, quos ipsi inter se iuvenes conferebant sermones. Exemplar hujus libelli itidem est in Bibliothec. Cygneens.

Reliqua scripta hujus viri recensēbimus deinceps. Non vero extra oleas me esse vagatum existimo, qui PAVLVM NIAVEM litterarum olim instauratorem fuisse non prorsus contemnendum, laboribus PAVLI NIAVIS & scriptis quibusdam expositis, probare volui eo tempore, quo anniversaria memoria indicanda venit VIRI AMPLISSIMI, litteris, ad quarum instauratorem PAVLVS NIAVIS noster aliquid olim contulisse non immerito videatur, DOCTISSIMI, GODOFREDI HOFFMANNI, Doctoris Gymnasii nostri, quum viveret, immortaliter meriti. Qua enim facultate meliora perspicue docendi excelluit, præter reliquas artes & scientias, proficuas quidem modernis usibus, tanta diligentia styli romani cultum tradidit, ut longe excellentiorem, quam antea factum erat, latine dicendi rationem in schola perficeret, nostrisque rebus magis idoneam, bene cognoscens, quod, sicut in omnibus, ita quoque ista in doctrina non scholæ, sed vitæ discendum sit. Dignus est HOFFMANNVS noster, ut summam prudentissimi Doctoris gloriam post mortem in perpetuum retineat. Sed quum salus scholarum non in docentibus solum discētibuscque sit, & Musæ molliores incrementa sua ab iis accipiant, quibus communis salutis cura & providentia a Deo commissa est, Principibus & Magistratibus, ideo non absolum esse videbitur, si in oratione in memoriam B. HOFFMANNI a me habenda multa expositio erit de meritis Senatus Magnifici urbis nostræ in rem Gymnasii. Qui igitur HOFFMANNI nostri laudibus non invident, qui Meritis Senatus Magnifici urbis nostræ favent, non deerunt huic nostro instituto, quod officii ergo parari debebat.

Rogo vero summa pietate & humanitate VIROS nostræ urbis GRAVISSIMOS & OPTIMOS, MAGNIFICVM atque AMPLISSIMVM SENATVM, PERREVERENDOS Legis & Evangelii PRÆCONES, OMNESQUE omnium ordinum ac dignitatum VIROS EXCELLENTISSIMOS, PRÆNOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS, DOCTISSIMOSQUE, NEC NON SINGVLOS, qui litteras adamare solent, ut benevole futuro die Iovis adesse & multo confessu confluentes me breviter dicentem audire velint. P. P. XVII. Trinit. C18DCLX.

ZITTAVIAE

STANNIS IOANNIS GOTTLIBII NICOLAI